



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 130. Pacta inter Angliæ Regem, & Francici Regni Administratricem  
firmata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

Sæcul. XVI eandem die decima sexta Augusti nova  
A.C. 1525. mandata mittebantur. Tractabatur  
 hoc negotium unacum Volsejo Cardinale, cuius opera Mooreæ, quæ est Re-  
 gis Angliæ villa, die trigesima Mensis  
 Augusti hoc anno quinque pæcta fuere  
 conclusa.

## §. CXXX.

*Pacta inter Anglice Regem, & Fran-  
 cici Regni Administratricem  
 firmata.*

*Daniel hist.  
 de France  
 to. 5. p. 549  
 Du Rapin.  
 Thoiras hist.  
 d'Angl. hom.  
 5. p. 207.*

Primo pacto sanciebatur armorum so-  
 cietas Angliam inter & Franciam  
 adversus omnes, qui alterutram inva-  
 derent, comprehensis etiam utriusque  
 Fœderatis, dummodo nullam quam al-  
 terutri horum Regum eripuissent, di-  
 tationem possiderent a tempore, quo Lon-  
 dinense fœdus die secunda Octobris An-  
 no millesimo quingentesimo decimo o-  
 ctavo firmatum suit. Hac conditione  
 excludebatur Imperator, qui nuper Me-  
 diolani Ducatum armis suis subegerat.  
 Præterea Henricus spopondit, se capti-  
 vi Galliarum Regis liberationem opera  
 sua apud Cæsarem effecturum, pæctis  
 quibusdam, iisque honestis conditio-  
 nibus.

Alterum fœdus illam, quam Galliarum  
 Rex Henrico debebat pecuniarum

summam concernebat, variique hanc ~~Sæcul.~~ XVI.  
in rem revocabantur tractatus Annis ~~A.C. 1525.~~  
millesimo quingentesimo decimo quin-  
to, decimo octavo, & vigesimo initi,  
præter aliud pactum circa restitutionem  
Tornacensis urbis. Ceterum totius de-  
biti summa ascendebat ad duodevigin-  
ti centum nonaginta novem millia, &  
septingentos triginta sex nummos au-  
reos, quorum quilibet triginta octo foli-  
dos Turonenses valore suo exæquat.  
Sancitum itaque, ut hæc summa solu-  
tionibus successive diversis numerare-  
tur, ac quadringenta septem millia, &  
trecenti sexaginta octo aurei quadrage-  
simo a firmato fœdere die, totidem ve-  
ro statim die prima Novembris, ac tan-  
dem usquedum debitum plene expun-  
geretur, quolibet semestri æqualis sum-  
ma penderetur. Insuper statuebatur,  
quod Henrico forte ante totam solutio-  
nem satis cedente, residua adhuc sum-  
ma ejus Hæredibus ac successoribus  
solveretur, si vero vita superstes esset,  
insuper eidem, non nisi tamen ad dies  
vitæ, centum aureorum millium pensio  
adjiciatur. Hunc articulum Regni  
Administratix jurata fide ac præsenti-  
bus Angliæ Legatis firmare compelle-  
batur, eidem Franciscus Rex mox, ubi  
in Gallias rediit, subscripsit. Præterea  
datæ fidei Sponsores Henrico tradeban-  
tur

**Sæcul. XVI.** tur Borbonius Cardinalis, Vindocinen-  
**A. C. 1524.** sis & Longevillanus Duces, Mallevria-  


---

 rius, Briennus & S. Pauli Comites, nec  
 non Monmorencius, Lautrecus & Pre-  
 zæus. Oppignorabantur etiam urbes  
 Parisiensis, Lugdunensis, Aurelianensis,  
 Tolosana, Ambianensis & Burdegalen-  
 sis, præter Turonium, & Rhemos. Æ-  
 gre admodum Regni Procuratrix alte-  
 ri huic pacto assensit, eoque regno in-  
 de maximum onus accederet; annuit  
 tamen, sed Regis Ministri coram Parla-  
 mento adversus hæc gesta Mensa Octo-  
 bri palam ideo reclamabant, ut saltem  
 horum oppositio Regi, si forte necessitas  
 exigeret, utilis esse posset.

Tertio, Regni Administratrix Mariæ  
 Henrici VIII. Sorori, & superstiti Lu-  
 довici XII. conjugi cuncta, quæ eidem  
 ad usumfructum ex bonis mariti sui con-  
 cessa, ac debita fuere, intercalatis solu-  
 tionibus numerare jubebatur, ita, ut sub-  
 scripti fœderis die quinque aureorum  
 millia, totidemque quolibet semestri sol-  
 verentur, donec residuum debitum peni-  
 tus expunctum esset. Præterea fides da-  
 batur, ut ipsa deinceps portione sibi reli-  
 ta libere frui posset. Præter hæc in  
 eodem articulo lis de utriusque Natio-  
 nis commercio dirimebatur.

§. CXXXI.